

zorem postulasse impossilia. Altera limitatio est circa in-  
differentia, quæ dum ad unius finem diriguntur, alteri nocent.  
Sic ad servandam civitatem, cum damno multorum incendun-  
tur suburbia: neque Christiani captivi peccant, si in navibus  
Turcarum pugnant adversus Christianos. Non enim prima-  
riò intenditur istud malum, sed quasi per accidens supervenit  
intentioni ad bonum. Vide quæ Zieglerus differit de intentio-  
ne primariâ & secundariâ not. ad Grot. lib. 2. cap. 1. §. 5. p. 192.

X X I I X. Sed objiciat quæspiam fieri quoque posse ma-  
lum commissionis, ut exinde eveniat bonum: nam ad servan-  
dam vitam interfici posse aggressorem. Verum, ut nihil di-  
camus de intentione, quæ potius directa esse debet ad sui de-  
fensionem quam ad alterius interfectionem, certè si quæ talis  
homicidii est justitia, ea potius ex poenâ fluit, quæ justè infli-  
gitur aggressori. Nam cessantibus judiciis, ubi saltem defensio  
licita est, unusquisque vel momentaneè vel continuè in Magi-  
stratus locum succedit. Conf. Grot. lib. 1. cap. 3 n. 2.

X X I X. Videamus nunc de iis, qui mala saltem permit-  
tunt, siye id fiat connivendo & non puniendo, sive per expres-  
sam sanctionem constituatur permisso. Et hic dubium non  
est de iis, quæ thesibus superioribus allata sunt, quin permit-  
ti possint. Quæ enim tutò quis facere potest, tutiùs sanè po-  
terit permettere. Quæstio igitur est, an mala doctrinalia sive  
religionis, & mala moralia debent in casu necessitatis per-  
mitti

XXX. Id eqvidem ex supra dictis patet, citius permitti  
posse doctrinalia quam moralia, quippe quod moralium mali-  
cia clarius judicari possit ab hominibus. Sed tamen utrumque  
permitti potest in casu necessitatis. Nam ipse Christus Matth.  
13, 29. Zizania toleranda esse innuit, nec ignotum quanta  
mansuetudine Deus Judæorum divortia ob eorum σκληροκαρ-  
dian permiserit Matth. 19, 8.

XXXI. Iplam verò asserti rationem pulchre proponit  
Zieglerus in Grot. lib. 1. cap. 1. n. 17. Permittunt, inquit, quia tol-  
tere sine Recip, concusione non possunt, non approbant; non